



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

2 De causis incuriæ spiritualis, eiusque remediis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

## MEDITANDI PARS I.

stro instituto congruens eis euenire possit; vt nempe sicut homo adultus sano & robusto corpore præditus, vel insalubri victu, vel nimis laboribus valerudinem offendere potest, quo minus consuetis operam dare possit functionibus: sic homo spiritualis, si adem post annos multos pristino meditationum pabulo desinat animam pascere, sua incuria faciet, vt nullos quoque fructus spirituales, de quibus infra agemus, producere queat.

*De causis incuriæ spiritualis, eiusq;  
remediis.*

### CAPVT II.

**Q**UAMVIS autem tanta sit, vt diximus, orationis mentalis, vel meditationum sacrarum necessitas iuxta ac vtilitas, tamen non desunt, qui vel crebriore tædio, vel laboris, quem in præparatione, vel attentione obtinenda experti sunt, metu deterri, omnino illas abiiciant. Quorum in gratiam antidota quædam sanando huic morbo idonea subiungam, ne tu quoque in hoc incuriæ barathrum te præcipitem agas.

A 3      Præci-



## 6 INSTRVCT. DE MODO

*Remed. I.* Principio itaque certo persuadere tibi debes, si semel aliquid de studio, curaque præparationis, attentionisue, ob fastidium Meditationi, orationisue subinde interueniens, detraxeris, fore, vt longius progressus, in magnum animi mœrorem incidas, & pœnitundine ductus, de te ipso dicas cum Propheta. *Factus sum mihi met-  
ipso grauis.* Quod grauamen omnes miseri isti incuriosi, & tepidi spontè confitentur nec iniuria, quia si negarent, reuinci possent experientia variarum corporis agitationum, quas tempore orationis in iis cernimus; nec dissimiles sunt iis, quas **CASSIANVS** superbo, dum collationibus spiritualibus interest, attribuit, sequentibus verbis. *Vno, inquit, in loco stare nescit eius obtutus, sed huc atq; illuc stupidus circumfertur intuius: aliorsum, & in obliquum, quam moris est, oculi defiguntur. Pro suspiriis enim salutaribus, sputa de sicco guttore contrahuntur, excreationes etiam sine ulla interpellatione phlegmatis prouocantur. Digni ludunt, & in modum quodammodo scribentis volitant, atque depingunt & ita huc atque illuc vniuersa membra corporis commouentur, Et totum se, vel scatentibus*  
*Sermo*

*Job. 7.**Cass. l. 12.  
instit. c.  
27.*



MEDITANDI PARS I. 7

*Sermibus, vel acutissimis sudibus credat in-  
fidere.* His signis addi possunt & ista. Nunc  
in hoc latus nunc in illud se conuertunt:  
nunc flectunt genua, nunc sedent. vbi con-  
federint, nunc contrahunt pedes, nunc  
porrigunt, nunc caput attollunt, nunc de-  
primunt, vel in manum quieris capiendæ  
causa reclinant, varias corporis partes, aut  
scabunt pruritu prouocari vel concutiunt.  
Aliquando etiam procumbunt, vel quietis  
victi tædio deambulant, nempe quia men-  
tis aciem defigere in meditationis argu-  
mentum nolunt.

DEINDE & illa consideratio ad sanan- 17  
dum incuriæ morbum iuuare potest, si in  
memoriam reuoces, Orationem nostram  
debere esse perpetuam, secundum illud  
dictum Christi. *Oportet semper orare, & Luc. 18.*  
*non deficere.* Cum enim illud verè expo-  
ni non possit de omni hora, minimum  
de vniuersa vita nostra exponetur, vt affir-  
mat S. Iohannes Chrysostomus, cum ait,  
cætera negotia pia Christiani hominis, vt  
docendi, prædicandi, aliaque id genus  
certo tempore finiri, nec quauis hominis  
ætate exerceri posse, solum orandi  
officium cum vita ter-  
minari.

A 4 ITAQ.



8 INSTRVCT. DE MODO

ITAQUE hic locum non habet illud. *Dabit Deus his quoque finem.* Quæ spes futuri finis nonnunquam hominem inducit, ut se totum dedere nolit alicui fructuosæ exercitationi, etiamsi cernat ex incuria sua indies difficultatem augeri, prorsusque similis est scholastico, qui perosus litteras, soli venationi, armisque deditus, licet creberrimè à magistro ob errores, & lapsus suos vapulet, tamen ex vno dicto, *Dabit Deus hu quoque finem;* leuamen capit, certus ludum litterarium cum adolescentiæ decursu finem habiturum. Secus res se habet in exercitatione sanctæ orationis, quæ nullis ætatis terminis circumscribitur. Vnde & B. AVGVSTINVS in altera monachorum suorum regula, neminem, licet grandæuum, ab orandi necessitate exceptit. *Ideo, inquit, volumus & in Christi nomine ordinamus, ut & ipsi, qui centum annorum sunt, & amplius, sedendo, Pater noster, in lectulo discant. Et diligenter eis sine murmuratione inserviat: ut & ipsi pro nobis intercedant in cælis, quorum habitatio iam sibi est.* Ac meritò sanè tales habitationem in cælo habent: nam quemadmodum ætas longæuos illos reddit felicitati æternæ viciniore, ita iure de ea perpetua eorum cogitatio.



giratio est, sibiq; cum B. PAVLO persuadere  
possunt, & dicere. *Conuersatio nostra in cæ-* Phil. 8.  
*lis est.*

Ego sane eiusmodi aliquot longæuos  
in nostra Religione, maxime autem in Do-  
mo Professæ Romana obseruaui. ut fuit P.  
IACOBVS Miona, qui B. Patris nostri I-  
GNATI ante institutam societatem Pari-  
siis fuerat Confessarius: quemq; post eam  
institutam Pater literis scriptis ad exercitia  
spiritalia inuitauit, causa adiecta, quod ne-  
sciret qua re alia compensare possit benefi-  
cium confessionis sibi quondam præsti-  
tum. Quo tempore consilio paruit, decre-  
uitque deinceps eius esse filius, cuius ali-  
quando Pater fuisset. Peruenit is ad æta-  
tem decrepitam: in qua cum pristinos so-  
cietatis labores amplius sustinere non pos-  
set, totos quasi dies atque etiam magnam  
noctis partem precationibus in Ecclesia,  
quoniam dormire non valebat, impende-  
bat Fuit & alter sacerdos, P. Iacobus Miron  
qui in extrema senectæ sic assuefactus erat  
orationi, ut in media etiam hominum tur-  
ba mente facile abstrahi potuerit, nisi ve-  
hementi excussione sinistrae manus, quam  
alias sub veste reconditam tenebat, extasin  
auertisset. Addam duos fratres laicos, quos

A s appel-



TO INSTRVCT, DE MODO

appellamus coadiutores temporales. alteri  
 nomen erat, *Ishannes Baptista Cocus*, eo  
 quod à primo ingressu in societatem vsque  
 ad ætatem deæxam illo ministerio magna  
 cum humilitate & caritate functus esset.  
 Hic cum ætatis viriumq, vitio, non posset  
 amplius operam suam domesticæ rei cu-  
 randæ locare, totum se orationi vocali,  
 mentalique ita dedebat, ac si à Deo eam  
 didicisset: maximè autem delectabatur  
 meditatione mysteriorum Rosarii Beatiss.  
 Virginis, in qua semper magno deuotionis  
 sensu afficiebatur. Vnde quoties Nouitius  
 aliquis ei submittebatur ad culinariam  
 rem agendam, eum ad meditationem my-  
 steriorum Rosarii cohortabatur, ac vt par-  
 ticeps fieret indulgentiarû Rosarii, ad Mi-  
 neruam, hoc est, ad S. Dominici ædem, &  
 nomen daret Confraternitati Rosarii, de-  
 ducebat Alter fuit *Iohannes Paulus Borel-  
 li*, qui iam annis plenus, recitandis psal-  
 mis, peruoluendaque corona totos dies  
 consumebat. Quem orandi affectum iam  
 inde à primis annis, quibus ætate florens  
 B. P. N. Ignatio socius adiunctus fuit, reti-  
 nuerat.

DENIQ, ad fugiendam, execrandam-  
 que in meditando incuriositatem iuuare

NON



MEDITANDI PARS I. ■

parum potest terribilis illa maledictionis  
 diuinæ cōminatio, quæ est apud Ieremiam  
 prophetam, dum ait. *Maledictus homo, qui* Ierem. 4.  
*facit opus Dei negligenter* maximè cum eius-  
 modi maledictioni multæ aliæ pœnæ sint  
 coniunctæ, vt liquet in CAIN, cui cum  
 DEVS dixisset. *Maledictus eris super terram.* Gen. 2:  
 mox subiunxit. *eamq; cum operatus fueris,*  
*non dabit tibi fructus suos. Vagus & profugus*  
*eris super terram* Quas pœnas probè intelli-  
 gens, totus perterrefactus & tremens dixit.  
*Ecce eicis me hodie à facie terra, & à facie* Gen. 4.  
*sua abscondar. Et ero Vagus, & profugus in*  
*terra. Omnis igitur, qui inuenerit me, occidet*  
*me* De quibus Dei castigationibus, quo-  
 niam agendum est, cum de distractione &  
 ariditate cauenda sermo erit, concludā hoc  
 caput sequenti commonefactione.

SI vsquam in vitio aliquo expugnando,  
 monitione illa opus est. *Principius ob-*  
*sta, sero medicina paratur,* maximè opus  
 est in hac incuriositate cauenda, nam v-  
 bi inueterauerit, & quasi callum obduxe-  
 rit, quod ei cum aliis vitiis commune est,  
 redditur incurabilis: contra verò primis  
 iniitiis perfacile sanatur. Exemplo sit recens  
 ocrea, quæ in rugas contracta, si statim ve-  
 teri formulæ imponatur, faciliè in pristinam  
 speciem



## 12. INSTRVCT. DE MODO

*Jer. 13.* speciem redigitur, si verò secus fiat, ægerri-  
mè. Cui similitudini congruenter loquitur  
scriptura diuina. *Si mutare potest Æthiops  
pellem suam, & pardus varietates suas, &  
vos poteritis benefacere, cum didiceritis  
male.*

Quanquam non idè pro depositis &  
desperatis habemus eos, qui fortè in hac  
perniciosa incuria quasi obduruisse viden-  
tur. Sicut enim peruetus licet, sicca & ru-  
gosa ocrea magistri industria sæpe ita e-  
mollitur, vt vsui esse queat: sic incurio-  
sus ille maxime sperare debet, se adiuuan-  
te diuina gratia, suaque & aliorum indu-  
stria prauam illam orandi consuetudinem  
depulsurum. Tamen, ne eum verbis cir-  
cumuenire videar, disertè moneo, non mo-  
dico labore & impensa opus fore. Quem-  
admodum enim ad extricandas dictæ ve-  
teris ocreæ rugas, necesse est primum  
tum aquis diu subigere, tum è formula  
sutoria suspensam extendere, contundere  
vnguinèque calenti, & subinde terro illi-  
nere, & in omnes partes versare, & ad-  
strictam soli exponere: sic incuriosus iste,  
si pœnitentiæ lacrymis se affatim immer-  
gat, si mortificationis vnguento quan-  
tumuis graui & aspero, mentis duritiem  
tollat,



MEDITANDI PARS I. 13

tollat, si ciliciis, flagrisque asinum suum egregiè coerceat, & ad vigilantiam excitet, prorsus sperare poterit se donum rectè meditandi consecuturum.

QVOD autem Ieremiæ locus ante citatus non de impossibilitate, sed magna rei difficultate sit intelligendus, annotavit alicubi B. BERNARDVS, & confirmavit exemplo MARIÆ Magdalenæ, quæ emersa ex tanta improbitate, ad tantam sanctitatem peruenit: & in eundem sensum allegavit versiculum Hymni, qui in festo eius decantatur. *Fit ex lebeo phiala:* Si verò de vera impossibilitate rectius exponatur, cogitandum est, impossibile id esse homini, si solæ naturæ vires spectentur, hoc est, ut à voragine prauæ consuetudinis emergat, at non, si spectentur vires diuinæ gratiæ.

*Quid vocabulo Meditationis intelligatur.*

CAP. III.

INITIVM facio à significatione vocabuli, ut natura & essentia Meditationis rectius intelligatur. Vox ergo *Meditatio-*  
*nis ori-*